



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

XXIX. Der Rath der Neustadt Salzwedel kauft von Heinemann Perzeval
Mühpächte von der Mühle vor der Burg, am 23. April 1284.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

XXVIII. Markgraf Albrecht schenkt die Böödenstedter Mühle der Gewandschneibergilde der Altstadt Salzwedel, am 18. November 1282.

In nomine sancte trinitatis et individue unitatis amen. Nos Albertus, dei gracia Marchio de Brandeborch, omnibus hanc paginam inspecturis recognoscimus presentibus publice protestantes, quod mercatorum veteris civitatis saltwedele fraternitati, que gilde theutonice nuncupatur, molendinum adiacens lapideo ponti iuxta villam bodenstede cum pheodo, Judicio, piscationibus, pratibus, siluis, agris, aquis et paschuis, cum vera proprietate et omni iure, sicut nos actenus habuimus, dedimus perpetuo possidendum. Dedimus etiam fraternitati predictae, quod nemo debeat eiusdem molendini aquas extenuare sine per fossas deducere nec impedire per structuram alterius molendini. Ne igitur huius donationis memoria deleatur, hanc inde litteram scribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Testes huius facti sunt nostri milites fideles Arnoldus de Jagow, Helmerus de Drenleve, Geuehardus iunior de aluensleve, Johannes de Stendale et alii quam plures milites et armigeri fide digni. Datum saltwedele, Anno gracia M^o CC^o LXXXII^o, XIII^o kal. Decembris.

Nach dem Original des Salzw. Archives XIV, 2.

XXIX. Der Rath der Neustadt Salzwedel kauft von Heinemann Perzeval Mühlpächte von der Mühle vor der Burg, am 23. April 1284.

Nos Consules universi nove civitatis Saltwedele palam facimus cunctis, ad quos hec scriptura pervenerit, quod contractum fecimus mutuum cum Heinemanno, dicto Perzevale, ementes ab eo septem choros filiginis in molendino ante castrum Saltwedele, quemlibet chorum pro octo marcis et dimidia Stendaliensis argenti, sub annua revolutione temporis percipiendos, ita tamen, quod quater in anno, sicut solent, fructus sive redditus molendini debent percipi, videlicet in festo beati Jacobi, in festo sancti Martini, in festo purificationis beate virginis Marie et in festo beate Walburgis. Horum autem reddituum debet Heinemannus obtinere proprietatem, si potest, et de expensis, quas circa hoc fecerit, videlicet proprietatem acquirendo, nobiscum amicabiliter ordinabit, secundum quod ex utraque parte videbitur expedire. Quod si non potest, tunc nos proprietatem laborabimus obtinere. Quod si nec ipse nec nos poterimus consequi proprietatem, nichilominus ad manus nostras pheodalia retinebitur a festo beati Jacobi nunc venturo per biennium tempore procedente, et quando rehabere voluerimus pecuniam, ipsi ante annunciabimus dimidio anno, quo completo integraliter reddet pecuniam pro predictis redditibus, quam recepit. Super hoc Marquardus de Berghe, Godene Stefow, Lambertus Perzeuale cum Heinemanno, fratre suo, certificaverunt nos fidejussoria cautione, si super hoc dubium oriatur. Presentem litteram cum appensione sigilli nostre civitatis sigillo Heynemanni sepe dicti decrevimus roborari. Actum Anno Domini MCCLXXXIV., in die beati Georgii Martyris, adhibitis nominibus Consulium tunc temporis Hermannus de Witighe, Arnoldus Stefowe, Rudolphus de Blutmig, Henricus Berstede, Johannes Witte-

bulle, Johannes Volpes cognomine, Alexander de Witinghe, Gifo Adelon, Godene Stefow, Henricus Dapifer.

Nach Lenz Br. Urk. S. 119.

XXX. Der Rath der Altstadt Salzwedel befundet, daß der Bürger Wedekin von Campe eine Rente von seinem Hause der Gewandschneidergilbe verkauft hat, die diese zum Vortheil der Armen verwenden soll, am 23. Februar 1285.

Nos vniuersi Consules antique Ciuitatis saltwedele recognoscimus presentibus protestando, Quod wedekinus dictus de campe, noster conciuil, domum suam cum area, in qua domus sita est, fraternitati pannicidarum in saltwedele coram iudicio et in facie nostra libero arbitrio resignauit rationabiliter et expresse, Ita uidelicet, quod idem wedekinus et quicumque post ipsum domum antedictam possederit, dare tenebitur, fraternitati prehabite de iam dicta domo vnum talentum denariorum perpetuo singulis annis in die beati martini episcopi recipiendum. Si uero talentum predictum magistris fraternitatis prelibate in die beati martini de dicta domo non daretur, tunc eiusdem domus possessor proxima die sequente cedit de domo predicta, in eadem nichil amplius obtinendo. Ceterum magistri fraternitatis prenotate III^o solidos de predicto talento in usus pauperum conuertere tenebuntur, scilicet petrus de holdenstede, noster conciuil, qui talentum sepit nominatum amore dei comparauit, cum XVI solidis ordinabit et faciet, quod voluerit, temporibus uite sue; post suum uero decessum prenarrate fraternitatis magistri totum talentum pretaxatum in elemosynam erogandam pauperibus conuertent, prout ipsis magistris visum fuerit expedire. Ne igitur fiat obliuio de premissis, presens scriptum desuper editum sigilli nostri munimine duximus roborandum. Consulium autem nomina, qui interfuerunt antedicto negotio, subscripta sunt, vt Thitmarus de vlfen, Henricus mechow, Cristianus miles, Conradus institor, Thidemannus de snege, Johannes georgii, Johannes benkendorp, hermannus graf, Nicolaus plume, Johannes luchow, hoierus de vlfen, wolterus sartor, Henricus de thuriz et henneke de mechow. Datum anno domini M^o CC^o LXXXV^o, in vigilia beati Mathie apostoli.

Nach dem Original im Salz. Archive XIV, 4.

XXXI. Der Rath der Altstadt Salzwedel befundet den Verkauf von einem Pfund jährlicher Rente von einem Bürgerhause an die Gewandschneidergilbe, am 27. April 1285.

Nos vniuersi Consules veteris ciuitatis saltwedele publice protestamur, Quod Johannes georgii et Johannes de luchow, magistri fraternitatis pannicidarum, emerunt iusto et rationabili modo erga Johannem cognomine wopac, cristiani pistoris filium, vnum talentum denariorum de domo sua ante castrum et de area, in qua dicta domus sita est, ad usus predictae